



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

4. Vtrum opera virtutum per peccatum sequens mortificentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

ctus Dauid de criminibus mortiferis egit penitentiam, & tamen in honore suo persistit, & beatum Petrum quando amarissimas lachrymas fudit, utique dominum negasse penituit, & tamen Apostolus permanit: sed non ideo putanda est superuacua posteriorum doctorum diligentia: qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt: experti, ut credo, aliquorum fictas penitencias per affectatas honorum * potentias.

AD TERTIVM dicendum, qd illud statutum intelligitur, de illis, qui publicam penitentiam agunt: qui postmodum non possunt ad maiorem prouehi gradum. nam & Petrus post negationem, pastor omnium Christi constitutus est, ut patet Ioan. vi. ubi etiam Chryl. dicit, * quod Petrus post negationem & penitentiam, ostendit se habere maiorem fiduciam ad Christum: qui enim in coena non audebat interrogare, sed Ioanni interrogationem commisit, huic postea & praepositura fratrum credita est, & non solum non committit alteri interrogare, q ad ipsum pertinet, sed de reliquo ipse pro Ioanne magistrum interrogat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum opera uirtutum in charitate facta possint mortificari.

AD QVARTVM sic proceditur. Vt, qd opera uirtutum in charitate facta, mortificari non possint. Quod. n. non est, immutari non potest: sed mortificatio est quaedam mutatio de uita in mortem. cum ergo opera uirtutum postquam facta sunt, iam non sunt, uidetur quod ulterius mortificari non possint.

¶ 2 Præ. Per opera uirtutum in charitate facta, homo meretur uitam æternam: sed subtrahere mercedem merenti, est iniustitia, quæ non cadit in Deum. ergo non potest esse, quod opera uirtutum in charitate facta, per peccatum sequens mortificentur.

¶ 3 Præ. Fortius sunt fortiora quibuslibet peccatis: quia ut dicitur Prouerb. 10. Vniuersa delicta operit charitas. ergo uidetur, qd opera in charitate facta, per se quens mortale peccatum mortificari non possint.

SED CONTRA est, quod dicitur Ezech. 18. Si auer terit se iustus a iustitia sua, omnes iustitias eius quas fecerat, non recordabuntur.

RESPON. Dicendum, quod res uiua per mortem perdit operationem uitæ. unde per quandam similitudinẽ dicuntur res mortificari, quando impediuntur a iuo proprio effectu uel operatione. Effectus autem operum uirtuosorum, quæ in charitate fiunt, est perducere ad uitam æternam, quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit: & secundum hoc opera in charitate facta, mortificari dicuntur per sequens peccatum mortale.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod sicut opera peccatorum tranleunt actu, & manent reatu, ita opera in charitate facta, postquam tranleunt actu, manent merito in Dei acceptatione. & secundum hoc mortificantur, in quantum impeditur homo, ne consequatur suam mercedem.

AD SECVNDVM dicendum, quod sine iniustitia potest merces subtrahi merenti, quando ipse reddidit se indignum mercede per culpam sequentem. nam & ea quæ homo iam accepit, quandoque iuste propter culpam perdit.

AD TERTIVM dicendum, qd non est propter fortitudinem operum peccati, quod mortificantur opera prius in charitate facta: sed est propter libertatem uoluntatis, quæ potest a bono in malum deflecti.

ARTICVLVS V.

Vtrum opera mortificata per peccatum, per penitentiam reuiuiscant.

AD QVINTVM sic proceditur. Vt, qd opera mortificata per peccatum, per penitentiam non reuiuiscant. sicut. n. per penitentiam subsequenter remittuntur peccata præterita, ita etiam per peccatum sequens mortificantur opera prius in charitate facta: sed peccata dimissa per penitentiam non redeunt, ut supra dictum est. * ergo uidetur, quod opera mortificata, per charitatem non reuiuiscant.

¶ 2 Præ. Opera dicuntur mortificari, ad similitudinem animalium, quæ moriuntur, ut dictum est: sed animal mortuum non potest iterum uiuificari. ergo nec opera mortificata possunt iterum per penitentiam reuiuiscere.

¶ 3 Præ. Opera in charitate facta, merentur gloriam secundum quantitatem gratiæ uel charitatis: sed quæ per penitentiam homo resurgit in minori gratia uel charitate. ergo non consequitur gloriam secundum meritum priorum operum. & ita uidetur, quod opera per peccatum mortificata, non reuiuiscant.

SED CONTRA est, quod supra illud Ioel. 2. Reddam uobis annos, quos comedit locusta, dicitur * gl. Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amisistis: sed illa ubertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum. ergo per penitentiam reuiuiscunt opera meritoria prius facta.

RESPON. Dicendum, quod quidam dixerunt, quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata, non reuiuiscunt per penitentiam subsequenter, considerantes, quod opera illa non remaneant, ut iterum uiuificari possint: sed hoc impedire non potest, quin uiuificentur: non enim habent uim perducendi in uitam æternam (quod pertinet ad eorum uitam) solum, secundum, quod actu existunt, sed et postquam actu esse desinunt, secundum, quod remanent in acceptatione diuina. Sic autem remanent quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur: quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, & sancti de eis gaudebunt, secundum illud Apoc. 2. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: sed quod isti, qui ea fecerunt, non sint efficacia ad ducendum in uitam æternam, prout uenit ex impedimento peccati superuenientis, per quod ipse redditus est indignus uita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per penitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. unde restat, qd opera prius mortificata, per penitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in uitam æternam, quod est ea reuiuiscere. Et ita patet, qd opera mortificata, per penitentiam reuiuiscunt.

AD PRIMVM ergo dicendum, qd opera peccati, per penitentiam abolentur secundum se: ita. f. qd ex eis ulterius Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur: sed opera in charitate facta non abolentur a Deo, in cuius acceptatione remanent: sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis: & ideo remoto impedimento, quod est ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte sua illud, quod opera merebantur.

AD SECVNDVM dicendum, qd opera in charitate facta non mortificantur secundum se (sicut dictum est) sed solum per impedimentum superueniens ex parte operantis. At ita autem moriuntur secundum se, in quantum priuantur principio uitæ: & ideo non est simile.

AD TERTIVM dicendum, qd ille qui per penitentiam resur-

4.d. 14. q. 3. ar. 3. q. 1. Et d. 22. q. 1. ar. 1. ad 6. & Hebra. 6. Iec. 1. & Iec. 3.

q. præ. ar. 1.

art. præ.

glo. interlinearis ibid.

D. 951.

In corp. art.

14. in gaudi celo. 1. ad 6. & Hebra. 6. Iec. 1. & Iec. 3.

Mem. Per. Ioan. prout. ar. 1. ad 6. & Hebra. 6. Iec. 1. & Iec. 3.

o. o. si. udu.

in. ca. i. d. ho. ho.

r. h. i. Er. ek. impo. dima. n. e. 17. uie.

p. ar. nepi. zio. illu. sica. u. 2. ioco. ior. do.